

sum, Pergite, inquit, vt hactenus: non est vobis  
ablata prorsus vestra authoritas: absoluite re-  
liquos articulos, cēsuram vestram apponite, &  
afferte. Vana illa cōsolatione, tametsi nō pror-  
sus vana, recreati, temperant à lachrymis. Lu-  
tetiam reuersi, tanquam re bene gesta, preces  
solennes indicunt venerando ordini, templum  
Virginis adeunt, v lulant, prædicant, auscultā-  
te me à tergo cōcionatoris, quod nō putabāt: fu-  
turū sperātes vt de reliquis illis articulis pror-  
sus taceretur. Interea tantum effecerant vt Bi-  
bliorum vēditio cōticesceret ad tēpus. Episcopi  
& Cardinales receptos articulos X L V p̄tōfe-  
rūt. Per totā aulā diuulgatur nihil inesse mali,  
præterquā fortasse in quinque aut sex, qui calū-  
niæ obnoxii essent: nō tamē carerēt idonea excu-  
satione: reliquos tolerabiles esse & catholicos.  
Vbi hæc audio, vrgeo quārum dat Dominus, vt  
reliqui mittātur. Præcipit Rex iterū atque ite-  
rum, etiam pœna adiuncta, vt afferantur. Vi-  
dete quām deplorata sit eorū peruicacia. Ter-  
giuersantur quoad possunt, reputantes, Si tale  
de prioribus articulis fuit iudicium Episcopo-  
rum & Cardinalium (quos tamen tanquam in-